Quelle: https://manuscripta.at/?ID=468
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

extinguetur in sempiternum. Ascendet
fumus eius a generatione in genera-
tionem desolabitur in seculum seculorum non erit
transiens per eam. Et possidebunt eam
onocratulus et ericius. ibis et coruus
habitabunt in ea. Et extendetur super
eam mensura ut redigatur ad nichi-
lum et perpendiculum in desolatione. nobi-
les eius non erunt ibi. Regem potius inuoca-
bunt et omnes principes eius erunt
in nichili. Et orientur in domibus eius
spine et urtice et paliurus in muni-
tionibus eius et erit cubile draconum
et pascua strucionum. et occurrent de-
monia onocentauris. et pilosus cla-
mabit alter ad alterum. Ibi cubauit la-
mia. et inuenit sibi requiem. ibi habuit
foueam ericius et nutriuit catulos et
circumfodit. et fouit in umbra eius.
Illuc congregati sunt milui alter ad al-
terum. Requirite diligenter in libro
domini et legite unum ex eis non defuit.
alter alterum non quesiuit quia quod ex o-
re meo procedit ille mandauit et
spiritus eius ipse congregauit ea. et ipse
misit eis sortem. et manus eius diuisit
eam illis in mensuram usque in sempi-
ternum possidebunt eam. in generatio-
nem et generationem habitabunt in
ea. Hebrei ut supra diximus hec de ro-
mano imperio prophetata contendunt
et in ultionem syon uastitatem quondam
regni potentissimi predicari. Quod iuxta litteram
plerique nostrorum etiam in apokalipsin
iohannis scriptum putant. Nos autem ex eo
quod dicitur dies ultionis domini annus retri-
butionum iudicii syon. hoc arbitramur
annum de quo loquitur ipse saluator:
spiritus domini super me propter quod unxit me
euuangelizare pauperibus misit me predica-
re captiuis indulgentiam. cecis ut uide-
ant. uocare annum domini acceptabilem et
diem retributionis domino nostro consolari
omnes lugentes et dare plangentibus
syon gloriam. et de quo supra dictum est mu-
lieres opulente surgite et dierum an-
ni recordamini in dolore cum spe.
ac per hoc post generalem totius orbis
consummationem. reuerti scripturam
ad ierusalem. cui illo tempore loquebatur
et uastitatem eius pleno sermone descri-
bit quod scilicet per quam tempus romane
obsidionis aduenerit pice et sulphu-
re et flammis ardentibus omnia com-
pleantur. et fumus illius maneat in eternum
habitentque ibi onocratulus et ericius
et ibis et coruus que animantia in
desertis locis habitare consueuerunt.
et hoc fiat quia funiculus domini atque
perpendiculum. id est sententia illius non uale-
at immutari. Nobiles eius idem apostoli
atque credentes non erunt ibi. nec proditorum
numero coniungentur. sed regem xpistum
potius inuocabunt. Omnes autem princi-
pes illius scribe uidelicet et pharysei redi-
gentur in nichili. et in domibus quondam
ornatissimis spine et urtice et paliurus
orientur. eritque cubile draconum. et pas-
cua strutionum. que et ipsa signa sunt ex-
treme solitudinis. Et occurrent
sibi in ea iuxta lxx. diuersa demo-
num fantasmata. siue ut alii omnes
iuxta hebraicum transtulerunt. syim.
et yim. onocentauri. et pilosi. et lamia.